

Rubrica. n. 2. Hinc sufficit, si factio constet, Legatum esse cancellatum, deletum &c. vel si duobus testibus probari possit, quod Legatum fuerit alienatum, vel quod graves inimicitiae fuerint exortae &c.

§. XXIII.

De Executoribus, & Executione Testamentorum & aliarum Ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

- 772 Executor Testamenti quid?
773 Alius est legitimus, alius Testamentarius, alius datus: alii universales, alii particulares.
774 Si nullus in Testamento deputatur, Executor illius est heres, exceptis Legatis pro alimentis pauperum.
775 In defectu aliorum executorum, Executor est Episcopus, praesertim in relictis ad causas pias.
776 Executor potest deputari unus, vel plures, Clerici, vel Laici, etiam femininae.
777 Etiam Religiosus cum licentia Superioris.
778 Sine qua secundum aliquos Executio est valida.
779 Secundum alios vero, invalida.
780 Ipsi Superiores sine ulteriori licentia esse possunt Executores.
781 Fratres Minores non possunt esse Executores.
782 Possunt tamen dare Executoribus consilium.
783 Potest etiam Testator committere Fratri Minori, ac ipse aliquem Executorem denominet: item potest obligare Executores, ut non nisi illis pauperibus, vel causis piis Legata distribuatur, quos denominaverit Frater Minor.
784 Regulariter nullus cogi potest ad suscipiendum munus Executoris.
785 Ex causa tamen rationabili Clericus ab Episcopo, & Laicus a Iudice suo ad id cogi potest.
786 Executores, quam primum possunt, tenentur exequi Ultimam Voluntatem.
787 Nisi certum tempus a Testatore sit designatum.
788 Tum Laicus Iudex, quam Episcopus potest compellere Executores negligentes, sive sit ad causam piam, sive profanam.
790 Legatario non capace petendi Legatum, tenetur Iudex ex officio compellere Executorem.
791 Iudex Laicus Executorem Clericum compellere non potest.
792 Iudex post aditam hereditatem, statim compellere potest Executorem, ut exequatur.
793 Et si Testator id prohibuerit.
794 Executor semel monitus, si intra annum non adimplet Voluntatem defuncti, amittit omne commodum ex Testamento sibi competens.
795 Bis monitus, si pia Legata exequi negligit, amittit praesentium commodum etiam ante annum elapsam.
796 Qui intra sex menses Legata pia etiam sine admonitione exequi negligit, debet illa cum fructibus restituere.
797 Executore negligente potestus exequendi devolvitur ad Episcopum.
798 In Executione Ultimae Voluntatis, ipsa voluntas Testatoris principaliter attendi debet.
799 Pluribus constitutis Executoribus, an, & quando

- unus sine alio procedere valeat?
800 Religiosus, vel Clericus Executor potest suo Monasterio, vel Ecclesiae quid applicare, si dispositio est ad causam piam in genere.
801 An vero etiam sibi ipsi, si dispositio est pro pauperibus in genere? dubitatur.
802 Assertiva est probatur.
803 Si Testator ignoraverit pauperem Executoris.
804 Nullus Executor potest dispositionem pro una causa pia in aliam mutare.
805 Nisi nova causa, vel prius ignorata emergat.
806 Vel respectu Eleemolynae sit minimum onus spirituale, v. g. Missarum, quas tunc reducere licet.
807 Papa tamen ex rationabili causa semper potest suas Voluntates ab uno in alium usum pium mutare.
808 Motivum Concilii Tridentini circa hoc.
809 Etiam Episcopus cum haerede, si relictum ad determinatam piam causam, applicari nequit.
810 Exspirante causa pia ante mortem Testatoris, debet Legatum eidem relictum in alium pium usum converti.
811 Legato pro pauperibus in genere, relicto, non potest Executor pro libitu id distribuere, sed debet ordinatè procedere.
812 Et quidem prius incolis quam exteris dare.
813 Et inter pauperes loci, magis egenos eligere.
814 Inter aequaliter egenos loci, prius conjunctis Testatori, quam aliis succurrere.
815 Item debet meliores praesertim Religiosos pauperes aliis preferre.
816 Malevolis ac otiosis pauperibus omnino nihil est dandum.
817 Ceteris paribus feminae praesertim maribus.
818 Relicta pro pauperibus non potest Executor uni soli dare.
819 Et universiter nulli plus, quam necesse habet.
820 Quomodo exequenda dispositio pia? Volo, ut haec applicentur pro Dei gloria; vel salute animarum mearum.
821 Executores tenentur facere Inventarium, & reddere rationem expensarum, etsi id remiserit Testator.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit executor Testamenti, vel alterius Ultimae Voluntatis Resp. I. Executor ad propositum ille est, & dicitur, qui vel ex dispositione Legis, vel Testatoris, vel Iudicis exequitur defuncti voluntatem. Ita in re Communis. Definitionis bonitas inde constat, quia convenit omni & soli definito, ejusque naturam clarè explicat, uti magis patebit ex sequenti Conclusionem, qua Resp. II. Executores Ultimatum Voluntatum varii sunt, varietate dividuntur. Alii enim sunt Legitimi, alii Testamentarii, alii Dativi. Et quidem Legitimi sunt & sequuntur illi, qui ab ipso Iure seu a Lege dantur, sive quibus munus exequendi a Lege competit. Testamentarii sunt, qui ab ipso Testatore in Testamento dantur, & designantur. Dativi sunt, qui a Iudice, aut Magistratu dantur, casu quo haeres institutus Executor esse nequit, aut deputatus in Testamento munus exequendi accipere nolit, vel non possit. Vocantur ita ad imitationem Tutorum, quorum alii sunt Legitimi, alii Testamentarii, alii Dativi, arg. tot. Tit. ff. de Testamen. tutel. & Tit. ff. de Tutor. & Curat. Executores Testamentarii, & Dativi cursum alii sunt & dicuntur universales, quibus nempe totius Ultimae Voluntatis executio committitur. Alii particulares, illi videlicet, quibus non integram Voluntatem, sed unam vel alteram tantum dispositionem particularem exequi committitur. Queritur I. Quinam de Jure sint Executores? Resp. I. Si Testator in Testamento nullum Executor-

- rem denominat, ipso Jure Executor est haeres institutus, etque munus exequendi de Jure incumbit, adeo ut integram defuncti voluntatem etiam quoad Legata pia exequi possit, & teneatur, si hereditatem adit. Molina Disp. 247. num. 2. Abbas in c. 3. h. t. n. 4. Pirhing h. t. num. 101. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 11. q. 1. Covarruvias in c. 3. h. t. n. 11. & Communis aliorum. arg. c. 3. & c. Si heredes. 6. h. t. junctâ l. Nulli. 28. C. de Episc. & Cleric. & Novell. 131. cap. 10. Limita tamen Conclusionem in casu, quo aliqua relicta sunt pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis: horum enim Executio non ad haeredes, sed loci Episcopum tanquam communem patrem pauperum, & miserabilem personarum de Jure pertinet, uti ex citatis Juribus, & cap. 11. cit. Novell. 131. allegati docent DD. Quamvis & in hoc attendenda sit consuetudo loci, ut bene observat Layman loc. cit. num. 1.
775 Resp. II. In defectu aliorum Executorum, munus exequendi pertinet ad Episcopum loci praesertim in relictis ad causas pias: veluti si Testator animam suam pro haerede instituit, aut pauperes, vel causas pias in genere. Layman loc. cit. num. 4. Molina loc. cit. num. 4. Sylvester y. Testamentum. 2. q. 8. Abbas loc. cit. num. 4. arg. cit. Novell. 131. cap. 11. Idem est, si haeres aut Executor deputatus voluntatem defuncti exequi negligit. Layman, & Doctores citati, arg. c. Tua. 17. h. t. & ibi Glossa y. Pias voluntatibus. junctâ l. Hereditas 50. ad finem, ff. de Petit. hered.
776 Queritur II. Quinam possint deputari, & esse Executores Ultimarum Voluntatum? Resp. I. Potest Testator unum, vel plures deputare Executores Ultimae suae Voluntatis: hocque vel masculos, vel feminas, vel Clericos, vel Laicos, sive ex haeredibus, sive extraneis. Molina Disp. 247. Layman loc. cit. num. 2. Pirhing loc. cit. nu. 102. & Communis aliorum. Quod non tantum unus, sed plures, & quidem tam Clerici, quam Laici esse possint Executores, patet ex c. Joannes 19. h. t. ibi: Joannes Clericus, & P. Laicus Executores ultimae voluntatis. Quod etiam feminae esse possint Executrices ultimae voluntatis, colligitur ex c. Nos quidem. 3. h. t. & l. A Filio. 15. prin. ff. de Aliment. & Cibari. Legat. & tenet praeter citatos etiam Bartolus in cit. l. A Filio. Covarruvias cap. 17. n. 3. cum Communis aliorum. Imò admittitur ad hoc officium etiam minor 25. annis; dummodo septemdecim annos exceiserit, Molina loc. cit. nu. fin. Sylvester loc. cit. q. 1. Pirhing loc. cit. n. 102. Glossa in c. 2. h. t. in 6. y. Religiosus, ubi testatur etiam de consuetudine. Ratio est; quia in hac aetate constitutus quisvis potest esse procurator ad negotia, textu claro c. Qui generaliter. 5. §. fin. de Procurat. in 6.
777 Resp. II. Etiam Religiosi quicunque (exceptis Fratibus Minoribus) possunt deputari, & esse Executores ultimarum voluntatum, tam quoad profanas, quam pias causas; dummodo ad exequendum habeant licentiam a legitimo Superiore. Communis ac certa ob eam Juris dispositionem c. 2. h. t. in 6. & Clem. un. h. t. ubi insuper disponitur, quod Religiosus etiam exemptus teneatur reddere rationem Episcopo de munere Executionis praesto. Porro per Superiorem, qui licentiam dare potest, intelligitur ad propositum, Superior localis, seu Praelatus Monasterii, Conventus, aut domus Religiosae, nisi specialia Statuta aliud ordinent, Layman loc. cit. Pirhing h. t. n. 108. Sanchez lib. 6. Moral. n. 15. & 16.
778 Utrum autem Executio, quam Religiosus absque licentia Superioris sui suscipiat, ac peregit, valeat, multum disputant Doctores, & quidem affirmativam cum Communis aliorum tenet Felinus in c. 2. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

de Judiciis. Layman loc. cit. n. 4. Pirhing h. t. nu. 109. Sanchez loc. cit. Ratio eorum est; tum quod licet SS. Canones prohibeant, tamen non annullent Executionem a Religioso absque licentia Superioris factam: tum quia, quamvis Religiosus velle & nolle non habeat, habet tamen consensum naturalem, qui una cum consensu Testatoris sufficiens esse videtur ad hoc officium, arg. l. Filiusfamilias. §. Venterani. ff. de Procurat. ubi habetur, quod licet miles esse nequeat procurator in Judio, tamen, si non repellatur, scetus ab eo gestus valeat. Verum negativam docet, & egregie propugnat 779 Covarruvias de Testament. cap. 17. nu. 2. Molina loc. cit. n. 9. Sylvester, & alii. Probat suam sententiam ex l. Non dubium. C. de Leg. ubi decernitur, ut ea, quae Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solam inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet Legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est; atqui c. 2. h. t. in 6. expresse prohibetur, imò ibidem cit. c. 2. h. t. in 6. expresse dicitur, quod Religiosus non possit esse Executor sine licentia sui Superioris. Et quidem ex ea ratione, quia velle & nolle non habet; ergo. Nec sufficere videtur consensus naturalis, alias enim etiam minor septemdecim annis, utpote naturali consensu gaudens valide esse posset Executor. Neque in contrarium quid probat l. Filiusfamilias; tum quia id Jura expresse concedunt: tum quia longe strictius deponit Monachus velle ac nolle quam miles. Confirmatur ex Glossa communiter recepta in Reg. i. Jur. in 6. ubi manifestè ostenditur, quod quando dicit Lex non potest esse actus in contrarium gestus non tantum illicitus, sed & invalidus sit. Quorum consideratione posterior haec sententia sanè videtur probabilior, & Juri conformior: licet prior probatione non careat. Illud tamen hic notandum, quod Superior, qui alteri dare licentiam exequendi ultimam voluntatem, & ipse valeat sine ulteriori licentia exequi talem ultimam voluntatem: quia universaliter possunt Superiores uti facultate, quam alii praebere valent: prout bene docent Molina loc. cit. num. 9. Sylvester loc. cit. q. 2. & Communis aliorum. Possunt etiam Religiosi extra Monasterium degentes, v. g. aliquo Beneficio Ecclesiae provisi, sine Superioris licentia dictum munus assumere, juxta Glossam in c. 2. in prin. y. Religiosus; quia cum hic & nunc sub obedientia Praelati non vivant, aliquo modo velle & nolle habent, consequenter cessante ratione Legis, sine licentia petiti Executores esse possunt. Resp. III. Fratres Minores nullatenus possunt esse Executores ultimarum voluntatum, etiam ad causas pias factarum; neque possunt Superiores ad hoc munus eisdem dare licentiam. Communis ac certa, textu claro Clem. Exivi §. Verum etiam de V. S. ibi: Praedictis Fratibus non licet, nec competit, quin potius considerata puritate status sui debent sibi scire interdictionem, quod hujusmodi Executionibus, & dispositionibus se exponant. Ratio ibidem & praepositur, & subjungitur: cum dicti Ordinis praefectores pro nulla re temporali possint in Judio experiri &c. haec autem saepius absque litigio, & contradictione, vel administratione pecuniae nequeant expediri. Verum tamen in his dare consilium, ipsorum statui non obstitit, pergit citat. Clem. Exivi. ob rationem, quam statim subjungit, cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictione, sive actio in Judio, sive dispensatio tribuatur. Ex quo Covarruvias de Testament. cap. 17. n. 1. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 11. nu. 28. Barbosa in cit. Clem. Exivi. de V. S. n. 26. Molina Disp. 247. num. 12. & Communis aliorum inferunt, posse Fratres Minores dare consilium Executionis Y y non

non tantum, quando liberè interrogantur ab Executoribus, sed etiam posse Testatorem mandare Executoribus, ut ad Executionem non procedant, nisi petito prius consilio à Fratribus; quamvis consilium datum sequi Executors non teneantur; ut bene notat Sanchez lib. 6. Moral. cap. 11. num. 28. Barbosa loc. cit. Pirhing h. t. n. 112. Roderiquez Q. Reg. tom. 3. q. 70. a. 2. & Communis aliorum. Ratio est; quia universaliter iustus aliquid facere cum consilio alterius, tenetur quidem consilium petere, aut non tenetur sequi, ut habet Communis apud Sanchez loc. cit. & lib. 1. de Matrim. Disp. 34. n. 24.

783 Uterius docet Sanchez cit. lib. 6. Moral. cap. 11. n. 32. & 41. Abbas in Clemen. Religiosus. nu. penult. de Religiof. Covarruvias loc. cit. Barbosa loc. cit. Bartolus, Emanuel Roderiquez Q. Reg. Tom. 3. q. 70. art. 2. contra Molinam Disp. 247. n. 12. & alios à Sanchez citatos, posse Testatorem committere Fratribus Minoribus; ut ipsi denotent unum, vel plures Executors; item precipere posse Executoribus, & non nisi illis pauperibus, vel causis piis hereditatem, vel Legata distribuant, quos Fratres Minores elegerint, vel commendaverint. Ducunt hoc fundamentum, quod in tali casu cesset ratio prohibitionis; cum hoc munus sine litigio, & contrectatione vel administratione pecunie omnino valeant exequi: quale enim litigium, contrectatio, vel administratio pecunie? si dicente Testatore, ille sit meus Executor, quem hic, aut ille Frater Minor, aut Guardianus denominaverit: Guardianus dicat, ego denomino Cajum: vel quando Testator in Testamento ita ordinar: *Lego mille florenos distribuendos pauperibus illis, quos Guardianus loci hujus denominaverit, vel pro quo rogaverit, aut quem commendaverit.* Et Guardianus dicat, ego denomino, & commendo hos vel illos: vel si Testator ita disponit, *Lego annuatim mille distribuendos viginti pauperibus illis, quos recommendaverit, aut denominaverit ille vel hic Frater Minor: & designatus Frater certos recommendat.* Accedit, quod ita denominare pauperes, vel Executors, sit solummodo facti, & non Juris, arg. l. cum pater. 77. §. hereditatem. de Legat. 2. Hinc non immeritò hæc doctrina contra Molinam manentem, & vel idem etiam sine scrupulo à Fratribus praticari potest; quia, præterquam quod inde in nullo maculetur eorum status, persæpè Testatores rationabilissimum tale munus committunt Fratribus, utpote quibus ex Confessione, vel aliunde plerumque magis quam aliis noti sunt veri, & elemosynâ præ cæteris digni pauperes. Vide Emmanuel Roderiq. loc. cit.

784 Quæritur III. An Executor in Testamento deputatus cogi possit ad exequendam ultimam defuncti voluntatem? Resp. Regulariter loquendo talis cogi non potest, ut munus exequendi in Testamento sibi oblatum acceptet, & exequatur, etiamsi dispositio sit ad causam piam: postquam tamen tacite vel expresse acceptavit, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exequatur, ac proin eidem amplius liberum non est, munus semel susceptum iterum reculare. Abbas in c. Joannes. 19. h. t. num. 3. & ibi Joan. Andreas, Molina Disp. 248. n. 3. Covarruvias de Testament. cap. 19. n. 3. Pirhing h. t. num. 113. & Communis aliorum, arg. cit. c. Joannes. 19. h. t. ibi: Post susceptum mandatum cogi debent. Ratio est; quia universaliter Mandatum non suscipere cuius liberum est; susceptum autem consummandum est.

785 Dixi Regulariter; quia ob causam rationabilem potest Episcopus Clericum in Testamento Executorem denominatum cogere, ut munus suscipiat, vel nullo Executore denominato, eidem hoc man-

dare, ut voluntatem defuncti exequatur; in quo tamen casu non erit Executor Testamentarius, sed Dativus, vel potius Commissarius aut Delegatus Episcopi, Abbas loc. cit. Covarruvias loc. cit. & alii Doctores nu. preced. citati. Ratio est; quia universaliter potest Episcopus, quando eidem Executio aliqua competit, munus suum alteri delegare, delegatumque, ut obediatur, compellere; dummodo sit suæ Jurisdictionis, ut bene advertit Abbas loc. cit. Sylvester §. Testamentum. 2. q. 3. arg. l. un. C. Qui pro sua jurisdictione. Pariter potest Judex Laicus ob justam causam Laicum suæ jurisdictionis compellere, ut munus Executionis suscipiat, & peragat. arg. cit. l. un. C. Qui pro sua jurisdictione.

786 Quæritur IV. Quando non Executors teneantur exequi ultimam voluntatem defuncti? & à quo negligentes compelli possint? ac quibus penis subjaceant debito tempore non exequentes? Resp. I. Executors teneantur, quamprimum poterunt, exequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso Testatore sit designatum. Abbas in c. Si heredes. 6. num. 5. Covarruvias ibid. n. 4. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 11. nu. 12. Sylvester §. Testamentum. 2. q. 6. & 9. arg. c. Si heredes. 6. h. t. & l. cum res. 47. ff. de Legat. 1. ubi expresse præcipitur, ut Legata sine mora præsententur. Ratio est; quia adit per hæredem hereditate, etiam Legatarius statim evadit dominus Legati; l. si tibi homo. 86. §. 2. ff. de Legat. 1. Hinc Layman, Sylvester, & alii docent, mortaliter peccare Executors, si ex negligentia diu differant exequi ultimam voluntatem. Nec obstat, quod juxta Jura infra nu. 794. citanda annus concedatur Executoribus, pro exequendis ultimis voluntatibus ad causas profanas, & sex menses ad causas piis. Nam contra est, quod ibi tantum designetur tempus in ordine ad incurrendas penas, si illo elapso Executors exequi negligunt defuncti voluntatem.

787 Dicitur autem notanter, Nisi certum tempus ab ipso Testatore sit designatum: hoc enim in casu sufficit voluntatem exequi tempore per Testatorem designato, arg. Novell. 22. cap. 2. ubi dicitur, quod voluntas Testatoris sit pro Lege tenenda, quamvis illud prævenire liceat; cum talis preventio non sit contra Testatoris voluntatem. Molina Disp. 251. n. 1. Abbas in c. Nos quidem. 3. n. 10. h. t. Pirhing h. t. n. 119. & Communis aliorum arg. l. Post mortem. 12. C. de Fideicommiss.

788 Resp. II. Tam Judici Laico, quam Ecclesiastico Episcopo nempe competit potestas monendi, ac compellendi Executors Laicos ad exequendam voluntatem defuncti, sive hereditas, aut Legata sint ad causam profanam, sive piam, ita ut hæc causa sit mixti Fori, de utroque locum preventionis, Abbas in c. Si heredes. 6. n. 3. Covarruvias ibid. n. 1. Molina Disp. 250. n. 1. Pirhing h. t. num. 115. cum Communis aliorum. Et quidem quod Episcopo competit hæc potestas; si Legata, vel alia voluntas defuncti sit ad causas piis, est Testator sit Laicus, controversiâ caret, textu claro c. Tua. 17. h. t. ibi: Cum in omnibus ultimis piis voluntatibus per locorum Episcopos providendum sit, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant &c. mandamus, quatenus Executors Testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & plenarie in usus prædictos expendant, monitione præmissâ compellas. Concordat c. Nos quidem. 3. & c. Si heredes. 6. h. t. Quod autem etiam Laico in casu, quo voluntas est ad causam piam, competit dicta potestas, patet ex Authen. Hoc amplius. de Fideicommiss. & Novell. 131. cap. 5. ubi adificationem. 10. ubi etiam Legata pia, providentiâ locorum Episcopi, & Judicis Civilis jubentur compleri.

789 Porro, quod in casu, quo dispositio est ad causam-

fam profanam, & Testator fuit Laicus, Judici Laico competit potestas compellendi Executors, certum est apud Omnes. Quod verò in tali casu eadem potestas etiam Episcopo competit, est Testator & Executor sit Laicus, tenet Glossa in c. Si heredes. 6. §. Ab Episcopo. h. t. Abbas ibid. nu. 7. Molina Disp. 250. n. 5. Covarruvias ibid. num. 3. Hostiensis in c. Joannes. h. t. Pirhing h. t. n. 115. & teste Covarruviam Communis aliorum, arg. cit. c. Si heredes. 6. h. t. ubi absque ulla distinctione Episcopo loci tribuitur facultas compellendi Executors ad exequendam defuncti voluntatem. Ratio est; quia Judicis Ecclesiastici est, subvenire personis miserabilibus, ac destitutus auxilio, c. Super quibusdam. 26. de V. S. Talis autem persona censetur etiam esse defunctus, utpote quia ipse agere non potest, ut voluntas sua adimpleatur. Abbas loc. cit. & in c. Cum eses. 10. n. 33. h. t.

790 Resp. III. Quando is, cui aliquid in Testamento relictum est, id non exigit, seu exigere non potest, uti sunt Fratres Minores juxta dicta supra, potest ac tenetur Judex ex officio sive Ecclesiasticus, sive Laicus compellere Executorem, ut solvat. Abbas in c. 3. h. t. Molina Disp. 251. n. 10. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 10. n. 15. Barbosa, Pirhing h. t. n. 118. & alii, arg. cit. c. 3. h. t. ubi nemine petente Episcopus ex officio processit.

791 Illud etiam notandum, quod est juxta dicta Judex Laicus possit Executors compellere ad exequendam Ultimam Voluntatem pro causis piis factam, si Executor est Laicus, non item, si est Clericus; eò quod in hunc penitus nulla jurisdictione Judici Laico competit, per vulgaria.

792 Resp. IV. Judices præsertim Ecclesiastici, statim post aditam ab hærede hereditatem, monere, quin & compellere possunt Executors, ut voluntatem defuncti executioni mandent; etiamsi Testator id expresse inhibuerit. Prima pars Conclusionis patet ex num. 785. hoc ipse enim, quod juxta ibidem dicta teneantur Executors voluntatem defuncti statim adimplere, arg. l. Cum res. 47. in prin. ff. de Legat. 1. & l. Si domus. 71. §. In pecunia. ff. eod. possunt à Judicibus ad id nolentes compelli, cum quivis compelli valeat, ut obligationi suæ satisficiat: ut proin licet Executors non incurrant penam ab ipso Jure statutam, nisi intra tempus à Jure determinatum voluntatem exequi negligant; uti patebit ex Conclusionibus num. 794. & seqq. ponendis; tamen ante illud tempus elapsum possunt arbitrariis penis ad Executionem compelli: prout bene docet Covarruvias in c. Si heredes. 6. h. t. numer. 4. & ibi Abbas n. 5. Cardinalis ibid. Pirhing h. t. num. 129.

793 Altera pars, quod Executors compelli possint, est Testator id prohibeat, aperte docetur c. Tua. 17. h. t. ibi: Licet enim à Testatoribus id contingeret interdici. Ratio est; quia privata persona non potest generale Constitutionem publici Juris Ecclesiastici vel Civilis immutare aut impedire, l. Nemo potest. 55. ff. de Legat. 1. & c. Requisivisti. h. t. junctâ Glossâ in cit. c. Tua. §. Interdici. h. t.

794 Resp. V. Si Executor semel monitus à Judice, sive Ecclesiastico, sive Laico voluntatem defuncti intra annum non adimplet, perdit omne id, quod eidem alias ex Testamento competit, sive hereditas, sive Legatum sit. Molina Disp. 251. nu. 3. Covarruvias in c. Si heredes. n. 6. h. t. Pirhing h. t. num. 126. textu expresse Authen. Hoc amplius. C. de Fideicommiss. & Novell. 1. cap. 1. §. 1. junctâ c. Nos quidem. 3. & c. Si heredes. 6. h. t. ubi etiam ratio additur; nempe ut hæc ratio vota defuncti adimpleantur. Alia ratio habetur l. Si paroni. 55. §. Quid ergo. ff. ad S. C. Trebellian. ibi: Cur enim non videatur Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

indignus, ut, qui destruit supremas defuncti preces, consequatur quid ex voluntate? Limitatur tamen Conclusio in hærede necessario, utpote cui Legitima (sola tamen) nihilo minus debetur, arg. cit. Juribus. nisi forsitan hereditas sit talis, quæ dividi non possit, uti sunt Regna, Ducatus &c. arg. c. Licet. 6. de Voto, ubi Filio Regis Hungariz indicitur privato Regni, si defuncti patris voluntatem non adimplet, Glossa ibid. §. Privandum. Sylvester §. Testamentum. 2. q. 10. dicto 3.

795 Resp. VI. Si Executor bis admonitus ab Episcopo dispositionem ad causas piis exequi neglexerit, etiam ante annum privatur commodis ex Testamento eidem aliis competentibus. Textus expressus habetur in Novell. 131. cap. 11. §. Si autem; qui hoc facere jussi: Covarruvias in c. Si heredes. 6. n. 5. h. t. & ibi Abbas n. 5. Layman loc. cit. n. 13. Bart. & Salycet. in Authen. Hoc amplius. C. Fideicommiss. Quod si perperam neget, relicto esse Ecclesiis, vel aliis piis causis, condemnandus est in duplum; prout statuitur in §. Vi autem. 19. Instit. de Acti. & tenent cum Comuni DD. citati.

796 Resp. VII. Si Executor cessante legitimo impedimento Legatum ad causas piis intra sex menses à die insinuatæ Testamenti numerandos non exequatur, debet in penam restituere præfata Legata, una cum omnibus fructibus & emolumentis, quæ à tempore mortis Testatoris interest percipi potuissent, ita verba penè formalia Novell. 131. cap. 12. §. Si autem Legatum. & sequuntur DD. communiter.

797 Illud etiam hic notandum, quod si Executor semel admonitus, intra annum voluntatem defuncti, præsertim circa causas piis adimplere negligat, potestas exequendi devolvatur ad Episcopum, ita expresse habetur Novell. 131. cap. 10. & c. Nos quidem. 3. h. t. Quod si bis admonitus exequi negligat, etiam ante annum dicta exequendi potestas ad Episcopum devolvitur cit. Novell. 131. cap. 11. §. Si autem qui hoc facere. Covarruvias in c. Nos quidem. 3. h. t. n. 8. Abbas ibid. n. 11. & alii.

798 Quæritur V. Quomodo adimpleri, seu Executioni mandari debeat ultima voluntas defuncti? Resp. I. In omnibus principaliter observanda, & pro Lege habenda est ipsa voluntas, ac dispositio Testatoris. l. Verbis. 120. ff. de V. S. & Novell. 22. cap. 2. ibi: Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, & sit Lex ejus voluntas; hæc enim in ultima Testatoris dispositione tanquam Regna denominatur, l. Conditionibus. 19. prin. ff. de Condit. & demonstr. dummodo Legibus non repugnet; Novell. 1. in Prefat. §. 1. ibi: Justum est, competentis deficientium dispositiones, quæcunque non repugnant Legibus, omnibus modis adimpleri, quia nemo potest in Testamento cavere, ne Leges in suo Testamento locum habeant; prout dicitur l. Nemo potest. 55. ff. de Legat. 1.

799 Pluribus à Testatore Executoribus simpliciter deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi forte nolente, ne voluntatem Testatoris impediri, vel nimium differri contingat, poterit alius (etiam unicus ex deputatis) nisi Testator aliud expresserit, officium Executionis injunctum liberè adimplere, sunt verba c. fin. h. t. in 6. ubi tamen Glossa §. In remotis. notat, quod si absens intra tempus designatum possit venire, debeat expectari adventus ejusdem. Idem est de alio impedimento, si quo impeditus reperitur unus, vel plures ex sociis Executoribus; quod videlicet Executio differri debeat, si simile impedimentum brevi, vel in termino assignato finisandum dignoscitur: secus verò, si nimium extenderetur.

800 Resp. II. Si Testator disposuit, ut hereditas, vel Legata dividerentur in pauperes, vel causas piis in genere, nullam specificandam, poterit Executor Reli-



loc. cit. n. 26. & Communis aliorum docentium pauperi superfluum dare vitium esse. Non enim datur elemosyna, ut pauper dives efficiatur, sed ut necessaria habeat.

820 Queritur VIII. Quomodo habere se debeant Executores? si Testator dicit: *Volo, ut hæc impendantur pro salute animæ meæ vel pro Dei gloria.* Resp. In hoc casu satisfacere Executores, si relicta applicant uni, vel pluribus piis causis, inter quas haud dubie etiam sunt pauperes; ad eum in simili casu etiam uni soli pauperi tota relicta substantia dari queat, si eadem indiget. Menochius loc. cit. n. 1. & Communis aliorum. Ratio est; quia revera satisfit voluntati defuncti; cum quidquid pro causa pia five una, five pluribus expenditur, ad Dei gloriam, & animæ salutem cedit.

821 Tandem circa Executores notandum, quod ante Executionem factam teneantur reddere rationem acceptorum, & expensorum, etiam si Testator id remiserit, vel prohibuerit, ne Executor ad reddendam rationem cogere. Molina Disp. 251. n. 8. Pirhing h. r. ad finem. Sylvester §. Testamentum 2. q. 8. circa finem. arg. Clem. un. h. t. & Authen. Licet. C. de Episcop. & Cleric. junctâ Novell. 131. Ratio est; quia exactio hujusmodi est munus publicæ potestatis introductum ob bonum commune, unde à privato Testatore impediri nequit.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

I Ratio Ordinis.

Duplici viâ acquirunt homines hæreditatem defuncti, videlicet vel ex Testamento, vel ab intestato. §. fin. Infit. Per quas personas nob. acquir. ita tamen, ut quando hæreditas ex Testamento adiri potest, Successio ab intestato locum non habeat, l. Quamdiu 89. ff. de Reg. Jur. & l. Antequam. 8. C. Commun. de Successione. Hinc Compiler Juris Canonici postquam egit de Testamentis, & competente ex eis Successione, rectè agit de Successionibus ab intestato.

S. I.

De Natura & Divisione Successionis ab intestato: ubi etiam de Computatione Consanguinitatis graduum in ea observandâ.

SUMMARIUM.

- 2 Intestatus quis dicatur?
- 3 Successio ab intestato definitur.
- 4 Est duplex: una in stirpes, altera in capita.
- 5 Ordo succedentium in linea recta.
- 6 Graduum computatio in linea recta.
- 7 Graduum computatio in linea transversali utriusque Juris.
- 8 Graduum computatio Civilis pro Successione hæreditaria etiam à Jure Canonico servatur: & graduum computatio Canonica pro matrimoniis etiam à Jure Civili servatur.

PRO faciliori notitiâ Successionis ab intestato notandum prius, quod Intestatus ille dicatur, qui vel omnino Testamentum non fecit, aut non Jure (id est non legitime seu validè) fecit, aut id, quod fecit, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres

extiterit, juxta verba Justiniani prin. Infit. de Hæreditat. quæ ab intestato. Qui igitur tali succedit, dicitur intestato, seu ab intestato succedere, & hæres ab intestato vocatur. Nec refert, an quis noluerit, aut non potuerit facere Testamentum, quivis enim quoad effectus Successionis pro intestato habetur: Nam licet, qui testari non potuit, propriè non sit intestatus, putà impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est: tamen hos quoque pro intestatis accipere debemus, ait Ulpianus l. 1. prin. ff. de Suis & Legitim. H. N.

Queritur I. Quid & quotuplex sit Successio ab intestato? Resp. I. Est acquisitio hæreditatis abque Testamento, vel dispositione hominis Legibus debitâ. tot. Tit. ff. Si quis ommissa causa Testam. dicitur acquisitio hæreditatis loco generis. Dicitur abque Testamento per quod differt à Successione ex Testamento. Additur: vel dispositione hominis Legibus debitâ; quibus verbis differt ab acquisitione hæreditatis per pactum vel renuntiationem cum consensu illius, de cujus hæreditate agitur, factam: hæc namque ex speciali dispositione & conventionione hominum inter se acquirunt: Successio ab intestato autem abque ulla hominis dispositione Legibus debetur: unde & Successio legitima: ipsaque hæreditas ab intestato acquisita, legitima, id est Legibus debita vocatur L. 3. §. 2. ff. Pro socio. l. Legitimam 8. ff. de Hæredit. petis. & l. Quamdiu. 89. ff. de R. I.

Resp. II. Successio ab intestato duplex est, seu potius dupliciter fit in capita nempe, & in stirpes. Successio in capita fit, & est; quando plures ejusdem gradus personæ æqualiter succedunt, ita ut una de hæreditate plus non accipiat, quam altera, totque fiant portiones seu partes hæreditatis æquales, quot sunt capita, seu personæ: ob quod Successio in capita dicitur. Novell. 118. cap. 3. in fine. Successio in stirpes, seu stirpes fit, & est, quâ unus, vel plures nulla habita ratione multitudinis vel paucitatis personarum, loco alterius ita succedunt, ut omnes simul, five multi five pauci sint, tantam portionem de hæreditate accipiant, quantum accepisset ille, cujus loco succedunt: quamvis deinde portionem inter se æqualiter ac in capita dividant. Exemplum est in casu, quo pater intestatus moriens duos liberos, ac sex nepotes ex filio prædefuncto relinquit: hoc in casu sex nepotes succedunt in stirpem, id est in locum sui patris, à quo tanquam stirpe proveniunt, ac omnes plus non accipiunt quam pater eorum, si viveret, accepisset, tantum nempe, quantum quivis ex duobus fratribus suis adhuc viventibus. Eandem portionem acciperent, si plures, vel pauciores essent nepotes v. g. duodecim, vel duo aut tres, vel unus, §. Cum filius. 6. & §. fin. Infit. de hæredit. quæ ab intest. & Authen. In successione. C. de Suis & Legitim.

Queritur II. Quam, & quo ordine ab intestato succedant? Resp. Sequentes ordine sequenti succedere: videlicet Primò Descendentes defuncti. Secundò Ascendentes illius. Tertio Collaterales consanguinei fratres v. g. illius. Quarto Coniux. Quintò Filcius. Ita antiquo Jure antiquo statuitur Novell. 118. cap. 1. 2. & 3. ac tot. Tit. ff. & C. Unde vir & uxor, totaque Tit. C. de Bonis vacantium, patebitque ex sequentibus; quia de quovis ordine succedentium horum specialiter agemus.

Queritur III. Quomodo computentur gradus consanguinitatis in ordine ad dignoscendum, quis sit gradus proximior consanguineus defuncti? Merito præmittitur hæc quæstio subsequentibus Paragraphis: Nam quia in illis dicemus, eum, qui est proximior gradu, esse etiam priorem in successione, ita ut remotiorem excludat, §. si plures

Infit. de Legit. agnat. success. omnino prius explicare & scire oportet, quomodo computato graduum fieri debeat ad dignoscendum, quis sit proximior. Itaque Resp. I. In linea recta ascendenti, & descendenti eodem modo computantur gradus consanguinitatis secundum Jus Civile, quo secundum Jus Canonicum, ita ut utrobique recepta hæc sit Regula unica: Tot sunt gradus in linea recta ascendente ac descendente, quot sunt personæ unâ demptâ, communi nempe stirpe, à quo incipit numeratio: consequenter tot gradibus distat in linea recta duæ personæ, de quibus queritur, inter se, quot sunt personæ à communi stirpe, unâ demptâ. Sic v. g. Pater & filius in primo gradu sunt conjuncti: avus & nepos in secundo: proavus & pronepos in tertio: & sic deinceps. Textu claro can. Ad sedem. 2. cau. 35. q. 5. & §. 1. ac seqq. Infit. de Grad. cognat. caret Conclusio omni contro-

7 Resp. In linea collateralali, seu transversali, tam æquali quam inæquali aliter computantur gradus à Jure Civili in ordine ad capiendam hæreditatem: aliter à Jure Canonico in ordine ad contrahenda matrimonia. Omnes. textu aperto cit. can. 2. caus. 35. q. 5. De Jure Canonico enim pro linea collateralali æquali habetur illa Regula: Quot gradibus singule personæ, de quibus queritur, distant à communi stirpe, tot gradibus distat inter se. Pro linea collateralali inæquali autem recepta est sequens Regula: Quot gradibus persona remotior distat à communi stirpe, tot gradibus distat duæ personæ collaterales inter se: prout magis patebit ex dicendis infra Lib. 4. Tit. 1. de Spons. & Matrim. Econtra de Jure Civili pro computandis gradibus lineæ collateralali tam æqualis, quam inæqualis habetur alia, & quidem unica sequens Regula: Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea personæ, unâ demptâ, communi nempe stirpe; consequenter tot gradibus duæ personæ in linea transversali distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stirpem, in quo ambæ conveniunt, unâ demptâ, ipso nempe stirpe communi. Sic v. g. duo fratres secundum Jus Civile in ordine ad capiendam hæreditatem distant duobus gradibus inter se: quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, & pater, in quo tanquam communi stirpe conveniunt, consequenter unâ demptâ duo gradus; hinc de Jure Civili in linea transversali non datur gradus primus. Pariter duo patruelis sunt in quarto gradu inter se; quia enim utraque parte seu lineâ usque ad communem stirpem sunt quæque personæ, ipsi nempe duo patruelis, duo ipsorum patres, & avus, unâ autem personâ, avo nempe dempto, sunt quatuor personæ, consequenter quatuor gradus. Rursum nepos & patruus, id est frater patris distant inter se tertio gradu; quia nempe usque ad communem stirpem avum scilicet ex utraque parte numerantur quatuor personæ, unâ verò dempta, sunt tres, consequenter tres gradus. Ita unanimes ob claram Juris dispositionem arg. tot. Tit. Infit. de Gradib. cognat. & can. 2. caus. 35. q. 5. ubi etiam exempla afferuntur illis verbis: Fratres itaque, qui secundum Leges sæculares dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: & sic deinceps. Rationem diversitatis merito servandæ inter Canones & Jus Civile ibidem allegat Pontifex diversam causam; ait namque: diu ventralis Legibus & SS. Canonibus distinctè invenimus, ob aliam, atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem. In Legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos transferatur. In Cano-

nibus verò ob hoc progenies computatur, ut aperit monstratur usque ad quartam generationem, à consanguineorum nuptiis sit abstinendum &c.

Illud tamen notandum, quod computato graduum 8 Juris Civilis in ordine ad successiones hæreditarias non tantum in Foro sæculari ac civili, sed etiam Ecclesiastico & Canonico sit observanda; quia quoad hoc Leges Civiles approbatæ, & canonizatæ sunt à SS. Canonibus, arg. cit. can. 2. caus. 35. q. 5. Et econtrâ computatio graduum Juris Canonici in ordine ad contrahendum matrimonium non tantum in Foro Ecclesiastico, sed etiam sæculari sit servanda, prout ipsi etiam fatentur Civilistæ arg. cit. can. 2. caus. 35. q. 5. ut proin verum sit dicere, quoad successione hæreditariam, eodem modo fieri computationem graduum à Jure Canonico, & Civili: Et econtrâ computationem graduum in ordine ad contrahendum matrimonium, pariter eodem modo fieri ab utroque Jure; consequenter Jus utrumque in computatione graduum non nisi penes diversa objecta differre, idque ob rationem num. præced. allegatam.

§. II.

De Successione Descendentium liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum.

SUMMARIUM.

- 9 Liberi varii afferuntur.
- 10 Liberi legitimi & naturales simul quomodo succedant?
- 11 Legitimati per Matrimonium qui? succedunt eodem modo, quo legitimi.
- 12 Sicut etiam adoptati liberi.
- 13 Legitimati per Rescriptum Principis, vel Comitum Palatini, quomodo succedant?
- 14 Legitimatio Rescripto Principis facta non expirat nativitate subsequente filiorum.
- 15 Naturales liberi qui? & quomodo succedant?
- 16 Spurii qui? & quomodo succedant?
- 17 Spurii improprie dicti juxta Canones qui?
- 18 Liberi ex damnato coitu parentibus non succedunt, alimenta tamen ab eis percipiunt.
- 19 His comparantur liberi parentis rei criminis læsæ Majestatis.
- 20 Nepotes cum liberis existentes succedunt in stirpem.
- 21 Sicut etiam, si soli sine liberis extant, & à diversis parentibus proveniunt.
- 22 Si filius superstes succedere aut nolit, aut non possit, succedunt nepotes.
- 23 Nepotes naturales legitimati quomodo succedant?
- 24 Nepotes naturales non legitimati succedunt avie matris.
- 25 Utrum verò paterno avo succedant, magna est controversia. Et num. seq.
- 27 Contra Jus commune habent statuta & consuetudines locorum circa successione ab intestato, præsertim in Bavaria.

Queritur I. Quam liberi, & quomodo succedant ab intestato? Ante Responsum notandum, Liberos esse in varia differentia; alii enim sunt, & dicuntur spirituales; alii affines seu privigni; alii legitimi & naturales simul; alii legitimi tantum; alii naturales tantum. Naturales rursus alii proprie tales; alii spurii; alii ex damnato coitu, alii legitimati, alii non legitimati. Filii spirituales alijus dicuntur illi, quos quis in Baptismo, vel Confirmatione tenuit, arg. can. 1. caus. 30. q. 3. Et de his certum est, quod penitus nullum habeant jus